



35  
1733 23

DECAS  
DESIDERIO-  
RVM IVRI-  
DICORVM  
QVINTA

QVAM  
PRAESIDE  
IO. FRIDERICO WERNHERO, D.

PROF. PVBL. ORD. CVR. PROV. SCABIN.  
ET FAC. IVRID. ASSESSORE

PVBLICE VENTILANDAM

IN AVDITORIO ICTORVM

D. IX. CAL. OCTOBR. M DCC XXXIII.

PROPONET

CAROLVS IOACHIMVS LIEBERKÛHN  
MEISBERGA - MANSFELDENSIS.

---

VITEMBERGAE  
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

DECAS  
 DESIDERIO  
 RVM IURI  
 DICTORVM  
 QUINTA  
 QUAM  
 PRÆSIDII  
 IO. FRIDERICO WERNHERO. D.  
 PROT. PUBL. ORD. C. P. P. C. CABIN.  
 ET FAC. PUBL. ASSESSORE  
 TWISSIG. FÜRSTENDOM.  
 IN AVDTORIO ICTORVM  
 D. IX. CAL. OCTOBR. M. DC. XXXIII.  
 PROPRIO  
 CAROLVS JOACHIMVS LITTKERVIH  
 MESSERGA. MANSTEDTENSIS  
 KITTNERGARD  
 LITTKERVIH VIDEVÆ GERDESIAE





DESID. I.

**H**eredes ex delicto defuncti, neque actionibus persecutorii, teneri, communis non tantum est opinio, sed eadem quoque omnibus propemodum iuribus comprobata. De Jure Rom. innumeri sunt fere textus, qui hanc thesin stabiliunt, & paucis exceptionibus, si nempe ad hæredem quid pervenerit, lis cum defuncto contestata, aut heres delicti particeps sit, circumscribunt. Jure Imp. eadem sententia non obscure confirmatur *Pac. Prof. tit. XI. Ord. Cam. P. II. tit. IX. §. 6.* Consentit Jus Sax. Commune, de quo habentur textus *Land. R. Lib. I. art. 6.* Die berey, noch Raub, noch Spiel Geld, ist er (der Erbe) nicht pflichtig zu gelten. *it. Lib. III. art. 31.* Was ein Mann dem andern schuldig ist, oder nimmet zc. Stirbt aber der, auf den die Klage gehet, seine Erben antworten davor nicht zc. Eadem habet *Spec. Sver. cap. 257. §. 293.* Ist es aber Dieb. stahl oder Raub, da gelten sie nicht, sie haben es dann in ihrer Gewalt, oder sie haben etlich Schuld daran, oder sie haben das unrecht Guth mit dem Erb verzehret. Verum hæc ipsa sententia manifesto est iniqua, & emendationem meretur.

*Rat. dubit.* Hæredes in delicta succedere, parum apposite statui videtur, cum alieni criminis successor nemo habeatur.

*Rat. decid.* 1) Jus Rom. in hoc capite omnium reliquorum iurium fontem esse, ex allegatis patet. Imo, quod frequen-

ter accidit, compilatores Spee. Sax. & Sjev. ignorantia Juris Rom. ulterius progressi, & regule generali: ex delicto hæredes haud teneri, innixi, conditionem furtivam contra hæredes furis negarunt, reclamante licet §. ult. *F. d. Obl. que ex delict.* Atqui Jus ipsum Rom. ab æquitate desiderii nostri non omnino abhorret, sed sui fere immemor contrarium statuit §. 2. *F. d. L. Aquil.* verb. *que*, actio scilicet *L. Aquil. in hæredes, transitura fuisset, si ultra damnum nunquam lis estimaretur.* Qui textus mirum in modum interpretes, ne a communi sententia discedere cogantur, torquet, & per eosdem torquetur.

2) Jus Canonicum *c. ult. X. d. Sepult. c. 9. X. d. Vfur. c. 5. X. d. raptor.* eandem, quam desideramus, æquitatem tenet.

3) Hæredes ad opimam aspirare hæreditatem, alios vero, damno a defuncto illato, pauperiores existere, oppido iniquum, maxime, cum in jure, qui de damno vitando certant, lucrum captantibus perpetuo præferantur.

4) Hæres non succedit in delictum continuandum; sed in luen- dum, & obligationem ex delicto, succedere, nihil absurdi habet.

## DESID. II.

Jus talionis: dens pro dente, oculus pro oculo, pes pro pede &c. ob injurias reales, damnum dolo datum, falsa testimonia &c. peccandi licentiam magis, atque ulla alia pœna, refrænat; ideoque, in Resp. nostras reduci, optandum.

*Rat. dubit.* 1) In multis applicari id jus non potest, cum vulnera ad mensuram non dentur.

2) Soler aliquid adjudicari pro doloribus, quod magis juvat lætos, quam jus talionis.

*Rat. decid.* 1) Æquissimum, prudentissimoque consilio a DEO *Exod. XXI. 23. seqq. Levit. XXIV. 19. 20. Deut. XIX. 19. seqq.* conditum id jus esse, nemo negabit, nisi & ipsa div. essentia attributa in dubium vocare velit.

1) Ini-

- 2) Iniquius e contrario est jus nostrum; nam, demto talionis jure, ditioribus vel profligatis hominibus, qui aut parvi pendunt exiguam, quæ adjudicari solet, summam, aut nihil in bonis habent, licentia alios mutilandi, lacerandi, deformandi, liberior conceditur.
- 3) Sponte patet, eatenus locum juri talionis relinqui debere, quatenus, executionem fieri, res ipsa permittit.
- 4) Quod omnibus prodest, præferri debet ei, quod singulis proficit. Melius prospicitur, ne delicta committantur, quam ut post vulneratam causam remedium quærat. Possæt etiam læso electio relinqui.

### DESID. III.

Num bene in carminibus conscribendis versifices Deorum Gentilium fabulas immisceant, fragmenta ista ad sacras historias recensendas transferant, imo sanctissimum DEI nomen appellatione Jovis, &c. expriment, idque in Rep. Christiana recte toleretur, aliis meditandum relinquo.

*Rat.* 1) Expresse id prohibetur *Exod. XXIII. 13.* Ubi verba, ne quem Hebræus offendat textus, Germanice ita se habent:  
**anderer Götter Nahmen sollet ihr nicht gedencen,  
 und aus eurem Munde sollen sie nicht gehöret werden.**

- 2) In sacris monstrorum, uti ab ipsis gentilibus describuntur, turpissimorum nomine, & ineptis fabulis, uri, nescio, num pietati veræ, & humillimo cultui, quem DEO debemus, conveniat, & annon recto de DEO sensui multum ita detrahatur.
- 3) Nostra sententia eo magis inhaerendum censemus, cum etiam vilis Pyæta apud *Phædr. Lib. IV. Fab. 24.* ægre hanc Poetarum licentiam tulerit, &, quod Castoris ac Pollucis nomina Carmini fuerunt inserta, tertiam solum partem mercedis conventæ solverit.

DESID. IV.

Dominicales nundinas, choreas &c. severe prohiberi,  
Pietas Christiana jubet.

*Exemplum.* Meminimus, alicubi nundinas diebus Dominicis  
propterea permitti, quo plebs ferias agens eo frequentior  
ad illas confluat, reditusque publici hoc augeantur  
modo, qui, si aliis diebus nundinae stauerentur, minores  
futuri essent. Egregia vero discedendi solertia! Legas,  
quæso, *Hagg. Cap. I. per tot.* Forte alio numero hos re-  
ditus habebis.

DESID. V.

Tolerari in Rebuspubl. Christianorum homines de in-  
dustria *progræ* affectantes, quos DEVS rationales & ad imagi-  
nem coelestem condidit, quibusve

- Os sublime dedit, coelumque tueri  
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus,  
gravissime dolendum, atque inter Christianos *vix* Christianos  
quæri posse, indicio est.

*Ratio. Conf. Dec. II. Def. 3. Rat. I.*

DESID. VI.

In jure cerevisiario, per Saxoniam recepto, atque ad  
civitates ac milliæ restricto, multa forte non injuria desi-  
derantur.

*Ratio I.* Desiderii nostri rationes, fundamento suo forte haud  
desituras, aliis meditandas, & experiundas relinquere,  
quam prolixè edisserere, malumus. Itaque loco rationum  
alia desiderata substituemus. Ius milliæ publicis redi-  
tibus magis obstare, quam proficuum, videtur.

2. Nullæ tot incendiis affliguntur propemodum terræ, atque  
Saxonice; causam plerumque in casis cerevisiariis invenies.  
Publica ergo constitui hunc in usum ædificia, publice inter-  
est,



est, & pariter fraudes, in omnibus negotiis frequentes, rescindit.

3. Libertati naturali nihil magis repugnat, quam adstringere ad rem hic illicve præcise petendam. Plerumque enim coactio materiam minus vendibilem producit, atque foret, si libertati cuiusque emtio relinqueretur. Hinc regiones, quo maior est commerciorum libertas, eo florentiores deprehendes. Ibi venditores mercium probitate, pretiisque vilitate, certantes & Reip, & sibi, & emtoribus profunt.

4. In esculentis & potulentis fraudibus obviam iri, desideravimus *Dec. I. Desid. V.* Annon, circa jus cerevisiæ coquendæ ex eadem ratione publ. inspectione opus sit; annon multa valetudini adversa circa cerevisiam, si ad acorem vergit, committi soleant; annon morbi cerevisiæ vitio sæpe accersantur; annon de industria, quæ mentis stuporem ac ebrietatem inducant, quandoque miscantur, excutere nolumus.

#### DESID. VII.

Pignoraciones prohiberi omnino, consultum est.

*Ratio.* Quot rixæ, tumultus, cædes, & alia mala, inde oriri soleant, non opus est, multis commemorari. His obicem poni, res ipsa postulat. At melius averti hæc nequeunt, quam si pignoraciones penitus prohibeantur.

#### DESID. VIII.

Lex, una sententia rem peremptorie decidi iubens, neque ulli suspensivo remedio locum relinquens, ita ferri nequit, quin manifesta quandoque iniquitas, gravissimo alterutrius partis damno conjuncta, emergat.

*Ratio.* Errare humanum est. Sententias contra hanc humanitatis calamitatem generalem nullo diplomate munitas esse, experientia docet. Ergo, humana remedia, dicimus correctionem, vicissim non indulgeri, durum foret. Itaque aut læsæ parti, aut utrique, unam permittere remedium, ipsa æquitas iabet.

DESID.

DESID. IX.

Iudicium Romanorum possessorium humanum, hodiernum non male asinarium ac irrationale, salutarur.

*Ratio.* Iure Rom. nemo possessor pronounciatur, nisi, qui nec vi, nec clam, nec precario, ab adversario possedit, quod possessorio nostro ordinario responder. At iure hodierno nec justitia, nec qualitas possessionis, ulla attenditur, sed solus actus inspicitur. Quod certe iniquum, cum saepius clam aut precario possessionem quis apprehendat, deinde ad possessionem momentaneam provocet, arque defensus per sententiam gravissimis ambagibus & difficultatibus adversarium implicet. Totum hoc privilegium est ex solo facto & ratione: possideo, quia possideo.


DESID. X.

Sententias: daß er dergleichen nicht vermutbet u. v. g. in iis, qui res furtivas emerunt, ob generalitatem suam, aut plane damnandas, aut restringendas, putamus.

*Ratio.* Præsumptio alia est nullis argumentis, alia iisdem, & quidem sat evidentibus, stipata. De hac si sententias explices, non habeo, quod desiderem; cum utique peccet, qui, circumstantiis vitium rei persuadentibus, nihilominus emit. At quam facile fieri poterat, ut cogitatio mentem quædam subeat, ac eandem obiter levis dobitatio stringat, quamvis nulla pro dubio fovendo sint argumenta. Cerre, qui ex dubitantium genere est, vix quicquam emere aut accipere potest. Ita vero cogitantem, aut absque ulla ratione dubitantem, punire velle, eumque in finem iuramentum dictare, grave est. Verba itaque illa de forti dubio, seu præsumptione justa, accipi, & in sententia ita temperari debent.







WITTENBERG, Diss., 1733

ULB Halle

3

002 408 449




SB OL

H. J. Schick







1733 35  
23

DECAS  
DESIDERIO-  
RVM IVRI-  
DICORVM  
QVINTA

QVAM  
PRAESIDE  
IO. FRIDERICO WERNHERO, D.

PROF. PVBL. ORD. CVR. PROV. SCABIN.  
ET FAC. IVRID. ASSESSORE

PVBLICE VENTILANDAM

IN AVDITORIO ICTORVM

D. IX. CAL. OCTOBR. M DCC XXXIII.

PROPONET

CAROLVS IOACHIMVS LIEBERKVHN  
MEISBERGA - MANSFELDENSIS.

VITEMBERGAE  
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.